

PRÆFATIO AVTHORIS IN PRV-
zenicos Canones cœlestium motuum.



MULTORVM ANNORVM OBSER-
uationes factæ ab eximijs artificibus testantur
ex vsitatis tabulis cœlestium motuum non posse
amplius calculum proferri cœlo congruentem.
Magnam igitur gratiam debemus summo viro
Nicolao Copernico, quod & obseruationes suas multorum
annorum vigilijs, & magna laboris assiduitate partas studios-
sis liberaliter communicauit, & collapsam penè motuum dos-
ctrinam restituit, atq; in lucem reuocauit, edito opere suo re-
uolutionum. Verùm vt Geometrica eius omnia tanquam
summi artificis sunt perfecta, & planè elaborata, vt haud scis-
am an quidquam melius in hoc toto genere doctrinæ proferri
vnquam possit, ita languisse interdum optimi senis studium
in numerorum tractatione res ipsa docet, si quis accuratè con-
sideret Canones prosthaphæreseon, & conferat ipsius inter se
calculum & obseruationes.

Primum igitur Copernici obseruationes cura Ptolemæi &
aliorum contuli quàm accuratissimè, ac præter nudas obserua-
tiones, & demonstrationum vestigia aliud quidem nihil sum-
psi à Copernico, sed Canones tum æqualium motuum, tum
prosthaphæreseon, tum reliquos deniq; omnes de nouo con-
didi, in quorum etiam nonnullis aliam prorsus rationem secus-
tus sum, quam iudicauit esse maximè conuenientem. Causas
verò & rationem singularum compositionum exposui in
commentarijs nostris, quos scripsi in opus reuolutionum Cos-
pernici. Habet hæc nostra ætas multos eximios artifices ac
doctores Mathematũ, quibus me longè inferiorem esse scio.
Hos sepè optauit publicorum studiorũ gratia suscipere hunc
utilissimum laborem condendi Canones. Sed cum intelligerẽ
præcipuos harum artium professores incumbere in alias ma-
terias suo quodam consilio, ac negligi interea potissimam pars
tem